



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Lib. XXVII. Delphinus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A exigui enim cibi causa circa magnum testarum cumulum occupari. Dialectica vero omnem Zeno Philosophus iustis quidem mensuris comparabat, quibus tamen ejus artis periti non triticum aut utile quidpiam metirentur, sed paleas, aut quisquillas & alia id genus.

DE TIPPULA. CAP. LII.

Verum ecce tibi Tippulam, mihi nihil tale cogitanti neque sentienti, ex improvise huc irrupisse, quare quid ea quoque sibi velit videamus: etiam si nihil ab Ægyptiis, quod meminerim, super ea traditum habeatur.

LEVITAS. CAP. LIII.

B Sunt qui summam levitatem, ut puta quam Maro de Camilla canit, per Tippulam apte significari posse dicant. Bestiolæ quippe genus id sex pedibus præditum, sed tantæ levitatis, ut super aquam currens non desideat. Hinc Plautus, *Neq; Tippula levius est pondus, quam fides lenonia.* *Anei. lib. 10*

JOANNIS PIERII VALERIANI
HIEROGLYPHICORUM
LIBER XXVII.

DE IIS QUÆ PER DELPHINUM ET
POLYPUM SIGNIFICANTUR

Ex Sacris Ægyptiorum literis.

AD NOBILISS. MAXIMEQUE REVERENDUM JOAN. GRIMANUM
PATRIARCHAM AQUILEGIENS.

C **U**stria diebus, qui proxime præterierunt, cum pientissime Præsul, purificationis ergo pulvinaria septem te secuti invissemus, essent q; una tecum eruditissimi viri Angelus Colotius, Baptista Casalius, Pimpinellus, Antonius Maroslicanus, & Petrus Alexander; quibus candidius nil terretulit, quorum commendatione tuam ego amicitiam recens indeptus eram, multaq; inter equitandum de ambitiosissimo monumentorum studio, quod veteribus illis adeo placuisset, ultro citroq; dicerentur: suggerere enim argumentum tot disjectorum passim edificiorum moles tam immanes, qua tota gestatione nostra occurrebant, magnamq; dicendi materiam subministrabat arcana illa pingendi celandiq; ratio, qua apud eos fuisset, qui mutam quandam orationem per rerum imagines mente concipiendam, non ullo vocis sono, licet in complexu enunciandam excogitassent, aut horibus dubio procul Ægypti sacerdotibus, quos universa mox nationes, ubi ulla rerum disciplina vigeat, tacito consensu cunctis in operibus imitati studuissent. Sub hoc sermone Quirinalem prætervehti, ad alta semite late defleximus, in hortos tuos, ubi antiquissimi operis templum olim fuit, in quo ruinis obruto signa etiamnum pleraq; vetustissima sub ruderibus subtermei ejus templi reperta à vobis fuerant, ad quæ spectanda magna ingenuarum multitudo consuebat. Inter ea autem opera, præcipuum erit Veneris simulacrum, qua Cupidinem manu regebat, ipse vero Delphinum cauda apprehensum sarrigebat, ille Polypum juxta Cupidinis pedes benevolentem solo mordicus apprehenderat. Hic tu, qui veterum operibus adeo delectaris, quarebas, quid id sibi vellet argumentum. Neq; aberant ex loci curatioribus, qui visitantium opiniones exceperant innumeras, plurimum vero qui rem temere factam arbitrabantur, animaliaq; illa ad ornatum tantum apposta putarent: vel si quod in ea re consilium fuisset, certe non ullum aliud, nisi ut statua pene nuda aliquo firmarentur fulcimento, facile lapsura nisi admniculis hujusmodi veluti adglutinata præsepit, q; sustentarentur, neq; altorius cujuspiam rei significationem præ se ferre, nisi quis diceret, Venerem mari ornam, maternisq; pecoribus Cupidinem adblatiri. Tuq; mi Domine, ad me conversus, quid super hoc mihi videretur postulasti. Ego autem

autem argumentum id omne ad Ægyptiorum maxime disciplinam, tuque. Vir amplissime, libenter auscultare me visus es, meamq; dilectionem amici reliqui non improbarunt. Proinde rogasti me, ut qua super Delphino & Polypo huiusmodi differuissem, ea scriptis explicata tibi darē, pelle te per otium rem diligentius examinare. Feci quod peteras, idq; libenter admodum, quod magnopere gaudebam datam mihi occasionem, qua possem tibi tam studioso, tam pio, tam plane probo Principi in ea morem gerere, in qua per dies aliquos industriam ego meam, quantumcumq; esse poterit, exercuissem. Misit igitur ad te pisces eos duos quos poposceras, atq; ea simul omnia, qua illis capiendis in verriculo deprehensa sunt. Nam multa Delphinus dum mare cauda verrit in sagem immisit: & Polypus cirris, & quibus exasperatur cotyle donibus fretus plorata secum attraxit nullo discrimine congesta. Ea utiliane essent, an inutilia, nolui meum esse iudicium, sed ipsum recte prout eductum erit, cum tota praeda protinus afferendum ad te curavi. Tuum erit, qua usus fore videbuntur, verriculo in siccum attrahito, seligere: qua minus ad rem facient, ejicere. Sed ante aqua ad completum figurarum, quas explicaturi sumus, aggrediamur, necessarium esse visum alterutrius simplicia significata percurrere: ut habita singulorum cognitione, facilius coagmentationem ipsam conficere possimus.

DE DELPHINO.

INCOLUMITAS. CAP. I.

*Est enim
præcipue
Φιλάν-
θεωπ
quintiam,
ajunt.
πανθεα-
57v.
Georg. lib. 1. tore nautæ,*

Incipientes igitur a Delphino, id imprimis referre libet, quod totiens in humani generis beneficium accessit: quippe plerisque mortalium extremo vite periculo laborantibus ab animali hoc sponte auxilium allatum. Neq; enim temere frænatus Delphinus pictus, incolumitatis indicium fuit, quod dicitur procul ob multos ab undis ejus opera servatos factum opinamur. In Neptuni siquidem templo, quod apud Isthmon erat, visebatur Palæmon puer super Delphino ex auro & ebore confectus, quem Herodes Atheniensis dicaverat. Nam & Palæmoni nautæ pro incolumi navigatione vota faciunt. Idem enim & Melicerta & Portunus est, cui, ut apud Virgilium habetur, *servati votum saluati in litore nautæ*, ut Glauco, & Panopææ.

TARAS. CAP. II.

*Delphinus,
δελφινός-
σιμ, &
διήμ.*

Quod vero signum in argenteo numo Delphino vehitur, TARAS is est, ut etiam indicat inscriptio, de quo Aristoteles meminit Tarentinorum politia, apud quos numisma Numū dicit appellari, in quo Taras Herculis Delphino vectus. Quamquam apud Asiaticos quoque puerum Delphino indidentem fuisse in numis, tradit Strabo. Sed Phalantum Lacedæmonem memorat Pausanias, qui Tarentum coloniam duxit, priusquam Italiam attingeret, naufragium in Crisæo mari fecisse, cui Delphinus opem tulerit, sublatumq; dorso in litus incolumem exposuerit. Stesichorus historiam huic similem Crithei testimonio recenset, Talemachum Ulyssis filium cum adhuc puer in alto maris litore lustraret, in subjectas aquas corruisse, mox Delphinatorum beneficio receptum, qui puerum surrexerint, & exposuerint: idcirco patrem Delphinatorum in signe postmodum studiosius adamasse, eamque sculpturam & in ense, & in scutis habuisse, & in annulo usum pro sigillo. Quare apud Lycophronem eum *δελφινόςσιμον* appellari comperias, quod etiam de causa forte dictum existimes, quod Philostratus eum subsumum fuisse dicit. Delphini vero & simo admodum rostra sunt, unde animal Repandirostrum, Pacuvio. Et Simonis nomine gaudent appellari, quasi vocem intelligant. Ut vero in eum mittamus Arionem Delphini opera & vectione, de latrone nautarum manibus liberatum: cuius rei testimonium diutissime in Tanaro habitum donarium, ex ære Delphinus cum incidente Arione, quod argumentum in numis etiam cufum vidi, eum quippe nudum Delphino vectum dextera victoriam prætereantem, lava Iyram suslinere. Prætereamusque Hesiodi poeta per errorem in templo Nemei Jovis ab incolis trucidati cadaver, quod in mare fuerat a percussoribus abjectum, a Delphino inter Locridem & Eubœam expositum: & Melicertæ corpus, quod in Isthmo Delphinus exposuerat inventum a Syphis. Virginem quamdam Lesbiam vetusti authores tradidere cum amatore suo demerfos in aquam, Delphinatorum auxilio incolumes evasisse. Veteres deniq; Delphinum tan-

At a veneratione profequebantur, ut eum neq; venarentur, neq; ullo pacto lædere fas iudicaret: quæ quidem religio in ætatem usque noſtram propagata eſt, cum multos reperias, qui Delphinum vel interficere, vel veſci ea de cauſa ſcelus putent: quod quædam illi ſint cum humano genere commercia, promptuariumque ſit navigantibus auxilium.

BACCHUS. CAP. III.

Quod vero Delphinum Baccho adpingunt, non ſolum ad fabulam ſpectat, ſed etiam ad hiftoriam: quod vinum marina aqua mixtum facilius conſervatur, ut Columella ſcribit ſe ab agricultura patruo didiſſe. Et Dionyſius hac de cauſa ad mare fuiſſe fingitur, quod apud Athenæum habemus. Cur vero aqua maris adeo vino conferat, rationem & Plinius & Dioſcorides & alii tradidere.

AOPLO DELPHICUS. CAP. IV.

At qui non neptuno & Baccho ſolum, verum etiam Apollini Delphines dedicantur, multasque ^{Quia Neptunus Delphinum inter ſydera retulit. Hyginus in fabulis, & Astronomeus.} ejus aras apud Græcos Delphinis inſculptas fuiſſe, Plutarchus atteſtatur. Ad hæc nonnulli addunt, Apollinem Delphini ſpecie adnaſſe ad Delphos, apud quos præcipue colitur, quamquam Delphi antea fuerant Neptuno ſacri, uti Calauria Trœzeniorum inſula Apollini, quæ loca mox dii ipſi invicem permutarint, ut apud Pauſaniam eſt. De Calauria tamen neſcio quid diverſum tradit Stephanus, cujus opus *De gentibus*, Hermolaus Byzantius in compendium redegit. Quantum vero pertinet ad Apollinem in Delphinum tranſmutatum, Creticum commentum ajunt: illi enim Apollinem totius ſalutis auctorem celebrabant, neq; quemquam ullum evadere infortunium arbitrabantur, niſi Apollinis ope ſoſpitaretur: ad quod forte tacite reſpexit Horatius, Sermonibus, ubi ſe garruli cujuſdam importunitatem, qui hominem necabat, evaſiſſe gaviſus ait, *Sic me ſervavit Apollo*: quamvis de foro loquatur, quo nugatur ille in jus tractus fuerat: ibi enim erat Apollinis templum, Cretes denique ab unoquoq; malo liberationem Apollini ferebant acceptã. Nam & quod fabulæ fabulantur homines in Delphinos tranſmutatos, ea de cauſa conſectum ajunt, quod Delphinis ducibus nautæ ſervati fuerint.

PERICULORUM FUGA. CAP. V.

Apuđ noſtros etiam vulgo Delphini ſunt tuti receptus indicia: quippe qui quotiès futuram tempeſtatem præſentiunt, in portus accurrere, deq; undis exilire cernuntur, quaſi velint reliquos invitare, ut in ſtationes prope ſe recipiant, neq; navigia alto credant. D. etiam Thomas Delphinum ait futura tempeſtatis prognosticum eſſe minime contemnendum, ubi viſus fuerit in maris ſuperficie frequentius ſe vibrare, aut plures quodammodo laſcivire inter ſe colludètes. Cauſam Philoſophie deprehendere, quod hyemali procella ingruente, conſurgunt exhalationes ab imo mari, quæ hyemis fomenta ſuggerunt, calorq; tunc in Delphinis excitatur: caloris vero cum propria ſit agitatio, evenit ut idem animal ſæpius emergat, ſeque frequentius oſtentet. Vnde illud apud Plinium, *Delphinos tranquillo mari laſcivientes, ſtatim ex qua veniunt parte præſagire.*

INPERIUM MARIS. CAP. VI.

Ita vero Delphinus maris regem ſignificat, ut pro aqua marique ipſo paſſim in numis excudatur. ^{An quia lociſſimè omnium a-nimaliũ, cre ac telo. Pl. l. 9. c. 8. Neronis Agrippæ & Nafidii numi.} Præcipue autem Sunii Neptunus ſub Delphinis imagine colebatur. Neptuno vero aquarũ Domino nullo non in ſigno ejus adſculpebatur. Pulcherrimus extat numus, cujus inſcriptio eſt, *NERO. CLAUDIUS CÆSAR AUG. GER. P. M. TRI. P. IMP. PP.* ubi Neptunum ipſum videas in portu ſedentem, id enim quietis indicium: dextera termonem terræ adprimentem, quod ſignum navigationis eſt in portum foſſilem: læva vero Delphinum amplectentem, quod maris blanditias & tranquillitatem oſtendit, iramq; & commotionem fluctuum omnem ibi demolitam. Ibidem celeberrima illius ædificiũ forma eſt, cum inſcriptione, *POB. OST.* In qua quidem portus illius effigie naves diverſi generis minutiffima figura elaboratas, non ſine magna artificis commendatione conſpicias. Atq; ut hinc hieroglyphicum, quo de agitur, interpretari aggrediamur, epigramma Græcum extat, cur Cupidinis ſignum una manu Delphinum, altera flores contineat, in hunc modum interpretatione facta:

Oudj

Οὐδὲ μάλιν παλαμας κατέχῃ δελφίνα καὶ ἀνθῶ,
τῆ γδ μὲν γαῖαν, τῆ δὲ θάλασσαν ἔχῃ.

Non temere quippe illum una manu Delphinum, altera flores continere: utpote qui sit hinc terre Dominus inde maris. Est & in numo M. Agrippæ L. r. cos. III. Neptuno reduci signum si. c. cuius in quo Neptunus læva tridenti alte inniitur, dextera vero Delphinum porrigit. In Q. Nasidii numo navis est cum stella & velo pleno, ab altera parte caput, tridente ab occipito posito, infra Delphinus est, inscriptio, NEPTUNI: quod tutam Q. Nasidii navigationem Neptuni beneficio peractam indicat. Tam igitur ex iis, quæ dicta sunt, Delphinum ante omnia maritima Neptuno sacrum iustissimum, quam reliquarum etiam aquarum symbolum, ex celebri Corinthiorum signo apud quos iam fuit, in quo Neptunus æneus situs erat, sub cuius pedibus Delphinus aquam effundebat. Sed et cum hæc multa sint, hæc de Neptuno dicta sufficiant: si modo id addidero, quod per Neptunum vice versa, unusquisque etiam piscis accipitur, ut apud Navium: *Coquus edit Neptunum, Venerem, Coquum*: hoc est, pisces, olera, panem: ubi advertendum Venerem hortis præfici.

VELOCITAS. CAP. VII.

r lin. ubi supra.

Est & illud præcipuum ex Delphino significatum, ut sit velocitatis indicium aut mirifice agilitatis. Constat enim unicuique maris accolæ, quanta se velocitate Delphini jaculentur: quæ cum referatur, incredibilis habetur iis, qui non spectarint. Est autem dubio procul velocissimum omnium animalium tum aquatili tum terrestrium: quippe qui malos etiam navigiorum majorum superstant, perinde ac sagittæ pernices, ut apud Aristotelem habetur, ἀπάντων δοκεῖ εἶναι ταχέως τρέχειν καὶ πλὴν ἐν οὐδένων καὶ τῶν χερσαίων, καὶ ὁ Φάρον πλοίων μεθ' ἑαυτῶν ἰσθῆς. De agilitate vero, qua maxime præditus est, proverbium emanavit, *Delphinum nare doces*, si quis imperitus peritissimum instruere aggrediatur: perinde ac illud, *Sus Minervam*: quod eruditissime Præsul, in me forsitan non immerito retorseris, qui de iis ad te scribere cœperim, quæ tu longe me plenius & melius alios docere possis. Nam & illud nosti, Nemeis, Milesiam saltu perniciosissimum Delphino assimilatum à Pindaro.

Δελφίνα καὶ χερσῶν διδάσκει

CITA NAVIGATIO. CAP. VIII.

In navigatione autem cum celeritas in primis expetatur, non incongrue Delphinus est navigandi signum: sive quod ipsi naves obviam factas comitentur, & quodam gratulationis affectu choros circumducant. Ab ea vero sulcandi maris facilitate qua Tyrreni plurimum olim claruere, quæ præcæticam exercentes universo fere orbi terrori erant, Delphinorum cognomentum in Græcorum fabulis adepti sunt, cum præsertim Pelasgi referente Mirsilio, Crotone occupata, Tyrrenam etiam regionem invassent, in qua diutius cohabitantes nauticam didicere. Habiti vero inter piratas etiam Pelasgi, unde nationibus reliquis invidia plenum erat eorum nomen, idque apud Maronem semper ad contumeliam ponitur.

MATURITAS. CAP. IX.

Pervulgatum vero illud est, quod mature agendum significat, si Delphinus anchoræ vel alligatur, vel, ut veteres fecerunt obvolvatur, uno contationem, altero celeritatem significans, que simul juncta, invicemque temperata, maturitatem faciunt: & quod Horatius ait, *Et propinque est obvolvite*, indicant id Græci ἀεὶ δε βεργόδεως enunciarunt. Sunt quid hieroglyphici huius inventum Augusto tribuunt, quod & adagium & signum huiusmodi solitus sit identidem repetere. Habetur ea species, qua Delphinus anchoræ se circumvolvitur, in Titi Vespasiani numis. Sed forte non displiceat huiusmodi significatum trahere, quod in numo quodam æreo apud Maffios inspexi Romæ. Boves humana facie personatum, supra quem Delphinus imminet: per hunc enim celeritatem, per Boves tarditatem intelligimus, quæ illius animalis propria est. Actionem vero ex humana facie colligimus, quod hominum imprimis sit res gerere; quamquam de Bove larvato alibi.

Augusti numus & Titi.

AMOR IN SIMPLICIOREM ÆTATEM. CAP. X.

Plin. ibid. lib 9. c. 8.

Invenio etiam ex Delphini simulacro amorem in simpliciorem ætatem significari, quem puerilis ætatis amasium non uno exploratum est exemplo, qualia ab utroque Plinio referuntur: ut non

A immerito tot in numis Delphinum cernere sit ab alato Cupidine frænatum. Et Veneris statuas ple-
rasque vidimus, quibus adsculptus est Cupido, qui vel Delphino infideat, vel alio quoquo modo re-
gat eum apprehensum.

GRATUS ANIMUS. CAP. XI.

NEquè tamen ea pro fabulis habenda, quæ recitat Pausanias, qui grati animi signum in hoc ani-
mali se vidisse in Poroselene Joniæ urbe testatur: inclamatus enim à puero, properare ad eum
solebat, subiectoq; dorso ei, si adhibuisset, ad vecturam sese accommodabat: propterea quod ab eo
redemptus piscatorum manus evaserat, curato etiam vulnere quod illi fecerant. Ab Egefide proditum
ait Plinius in Jalyso Rhodiorum urbe Hermiam puerum Delphino longa consuetudine vecta-
ri solitum per fluctus, sed subita mox procella superveniente demersum. Idemq; Naupacti etiam ac-
cidiisse, ut Theophrasto est literarum monumentis traditum. Admiratur Plutarchus tantam anima-
lis istius humanitatem, siquidem non educatione, veluti Canes & Equi, non ulla alia necessitate, velut
Elephanti Pantheræque & Leones ab hominibus liberati, sed genuino quodam affectu sponte sint
B humani generis amatores: ideoque Crocodilorum hostes infensissimi, propterea quod Crocodilus
humano semper generi insidiatur, atq; ita ipsa naturæ repugnantia inimicitias generat.

Lib. 9. c. 8.
hæc omnia

NEQUITIA. CAP. XII.

PHysiognomici sane lascivos & petulantes eos in primis indicant, qui simum, ut Delphini, na-
sum habeant: proptereaq; Socrati nequitia, quam ex ipsa facie præ se ferret, vitio data est, quod
ita se natura affectum inficias non ivit: cæterum se naturam continentia domuisse, id quod etiam
Plato in Symposii sine multis argumentis testatum facere est aggressus.

ADULATORUM INFIDELITAS. CAP. XIII.

NON præteribo hic quod Socion Philosophus ait Delphinum adulatorem esse, qui ciborum reli-
quias, quæ à navigantibus affatim in mare projiciuntur, allecti comiterq; accepti saturatique,
natantes quamdiu affatim unda subest ac suppetit officiose comitantur: in siccum vero litus nun-
quam excedunt. Sic adultores, quamdiu tranquillitas affulget, permanent, amicos in hoc vitæ cur-
su dum plana faciliaq; & prospera omnia sunt, adeunt, deducunt, colunt: cum vero scrupea diffici-
liaq; acciderint, statim abscedunt, de quibus Horatius noster:

Adulate-
rum natu-
ra.

At vulgus insidum & moretrix retro
Perjura cedit: diffugiunt cadis

Cum sece siccatis amici,
Ferre jugum pariter dolosi.

Carm lib. 1
Od. 35.

GIBBEROSI. CAP. XIV.

Vulgo vero usurpatum, ut gibberosos Delphini cognomento notemus. Et antiquissimus author
Pacuvius animalia hæc Incurvicervicum pecus appellavit. Sed & gibba suum habet significa-
tum: utpote quæ futurorum indicium sit, ut apud Tranquillum aruspices Domitiani gibbam per so-
mnium sibi accessisse visam interpretati sunt. Et quoniam pars est prudentiæ, futura prævidere, gib-
berosos ajunt omnes affutos esse, multa que pollere sagacitate.

Gibba fu-
turorum
indicium.
Et repandi
nostrum
Sueton. Do-
mitiano. c.
25.
Horat. de
arte Poe-
tica.

IMPURI AMORIS SATIETAS. CAP. XV.

MAXIME vero mihi natura ipsa per Delphinum philosophari videtur, quem terra procul, adeo
violentum, pernicem atque agilem esse juserit, eundem autem simulatque terram attigerit,
vix in arenam exceptum confestim emori: unde dixerit Horatius de re maxime absurda, contraria,
& sibi valde repugnanti, Pingit Delphinum in sylva. Ita impatiens est animal hoc terreni soli. Adagi-
um vero est in eos, qui magnum aliquid polliciti, minimum præstiterint, *δελαφινος εν χερσω βλα.*
Quæ quidem eo spectant, ut cum amorem ex Delphino significari ostenderit, eatenus amorem
omnia virtutis experimenta præstare admoneamur, quatenus terra procul in alto sese exercet, &
in sublime sapius sese coelum versus, marinæ undæ purificatione expiatus, ac sereni tantû aeris affe-
ctor ejaculatur. Terra autem & animalia terræ addicta, uti Serpentes, Sues, & alia quædam, volun-
tariæ mollitudo, sinis indicia sunt, tum ipsam rei venereæ spurcitiem innuunt, quo simulatq; Delphinus
T t accesse-

Horat. de
arte poetic.
Vix Delphi-
ni in term.

accesserit, statim expirat. Huiusmodi enim est impuri amoris conditio, ut cum quis id, quod longo temporis intervallo appetierit, studiosusq; ambiverit, affectus est, in amando deinceps flaccescere ac refrigerari videatur: plerumq; etiam vel fastidio, vel odio succedente, tam alienus ab amata re fiat, ut nihil magis aversetur. Hinc illæ deceptorum querelæ:

Cui mea virginitas avibus libata sinistrâ?

Hinc illud Demosthenis de Laide. Tanti paniter e non emo. lib. 4. *Ensi.* Hinc apud Maronem exclamat Dido:

Te propter Lybica gentes Nomadumq; tyranni Extinctus pudor, & qua sola sydus adibam
Odere, infensi Tyrii: te propter eundem Fama prior, cui me moribundam deseris hospes?

Quare Lyfias apud Platonem amantes ait, cum primum libidinem expleverint, collati beneficii penitere, id quod in eo accidit amore: qui turpitudini sit emancipatus. In eo vero, quem neque Plato, neque alius quispiam pro dignitate satis unquam laudavit, longe aliter evenire manifestum est.

DE POLYPO. CAP. XIV.

E Numeratis quæ apud authores, quos legere licuit, habentur, Delphini significationibus, ad Polypum res ipsa, quæ præ manibus est, traducit, ut demum quid sibi velit Delphinus, qui Polypum mordicus apprehenderit, conijcere valeamus.

REI FAMILIARIS ACCUMULATOR. CAP. XVII.

Agyptii sacerdotes hominem, qui rem familiarem ex quibuscunq; rebus, utilibus simul ac inutilibus, nullo discrimine, nulliusque rei ratione habita, congereret, augetque, significare si velent, Polypum pingere soliti sunt. Ille enim cum prodige admodum multa devoret, prudens tamen rei familiaris omnia temere colligit, & convenatur, & in cubili suo recondit, selectisq; utilibus atque consumptis inutilia mox, quippe testas, & Cancrorum crustas, & putamina conchularum, & spinis pisciculorum abigit. Eos Ælianus vehementes ait esse ad vorandum quæcumq; oblata fuerint, esseq; adeo impotentes, ut ne pastu quidem mutuo abstinere deprehendantur: quique in retibus minores inclusi fuerint, majorum escam esse.

Hinc forsitan spectat πολύποδος ἔχοντος. Polypi mentem abstinere. Vide Plin. 9. c. 29.

OMNIUM ABLIGURITOR. CAP. XVIII.

Quin etiam eum qui aliena abliguerit, & sua mox absumat, notare cum vellent, Polypum flagella curtum & detruncatum effingebant. Afferunt enim authores Ægyptii, Polypum ita famis impatientem esse, ut si alius cibus non suggeratur, quem devoret, propriis flagellis vescatur. Unde dixerit Alcæus: ἔδω δ' ἑμαυτὸν ὡς πολύπους (quem verum citat Athenæus:) *Ipsum me comedo ut Polypus.* Hesiodus quoq; ἐν ἔργοις cum Ægyptiis sentiens de Polypo ait, ὁ τ' ἐνόστει ἐν πόδα πίνει, φρεσὶν ἑσσοῖσι πεδὲ vescitur. Præterea Oppianus Halienticis, ἀλλ' ἀγλαφύροισιν ἀνεζόμενοι θαλάσσι πηζάντες δαίνω) ἐὺς πόδας ἢ τε σείκεαι ἀλλοτρίας. Id ipsum Ælianus asserit, venatione deficiente suis eum vesci cirris, alii mox pro iis, qui absumpti fuerint succrescentibus: Heledonem autem πλεονασμῶ τ' ἄλ, δ' ἀπὸ ἑαυτῆς ἔδειν. quod semetipsam edat, appellatam, Polypi speciem etymologici Grammatici contendunt. Nam & Pherecratem, summæ autoritatis virum, hæc eadem de Polypo sensisse tradunt. Quin & Carneadem id ipsum agnovisse manifestum, cum Dialecticam Polypum millem esse dicitaret, qui præ fame suamet flagella pasceretur. Eos vero aucta jam doctrina patitiores facios, in suamet opiniones mox grassari, easque destruere: quæ quidem curiosius à me conquirenda fuerunt, quia Plinius Aristotelem secutus id fieri negat: quique reperti sint corrofa habere brachia, id eis à murænis vel congris evenisse asserit, cum quibus assiduum certamen habent. Plutarchus tamen in Aristotelis sententiam super hoc nonnunquam illabatur, cum Ægyptiis tamen hoc idem tradit, qui tam præstantium authorum scripta arguere mendacii vereatur quasi vero non & alia sint animalia, quæ suamet membra in cibum assument, cum Cercopithecos videamus totas interdum sibimet caudas abrodere, quare cautio est, ne qui animalibus huiuscemodi delectantur, carnes eos attingere permittant, quia simulatque carnibus assueti fuerint, ejus facii avidiores, morsus in semetipsos ultro convertunt. Id ego cum hæc scriberem, apud Mediceos proceres domi fieri à quodam efferaioris naturæ Cynocephalo quotidie conspiciebam.

Negat Plinius 9. c. 29.

VICTO

VICTORIA UTI NESCIUS. CAP. XIX.

A Hominem victoria potitum, uti tamen victoria nescientem, intelligere cum vellent, sacerdotes iisdem Congrum & subiectum Polypum pingebant. Qua specie potuisset Annibal figurari, cum frage ea Romanorum ad Cannas edita, Romam oppugnatum ire neglexisset. Ajunt vero, quotiens Polypi cum Congris certamen ineunt, a Congris facile superari: ceterum nullam esse Congris facultatem, ut Polypos depascere valeant, quod ii lavore atq; lubricitate corporis, qua sunt egregie praediti, morfus hostium effugiant, & mutilatis tantum aliquando flagellis elabantur.

TYRANNUS. CAP. XX.

Quod si hominem Aegypti municipii sui longe principem, sed tyrannica in cives dominatione utentem notare vellent, Polypum & Locustam adpingebant: Locustae siquidem dominationem videntur in Polypos exercere, primasq; inter eos obtinere partes, ut apud Horum legitur. Ceterum Aristoteles priores Polypo tribuit, tantoque eum terrori formidiniq; esse scribit, ut si Locusta Polypum in iisdem retibus esse senserit, praeter metu exanimetur quamprimum extincta, Habet haec Gammari fluvialis similitudinem, longe tamen major atq; vastior est, & albicantior, cum Gammari subnigricent: quamquam & nigricantes admodum Locustas in Ligustico mari esse conspexit. Pedes huic utroq; ex latere quini, iis adnumeratis, qui in forcipem exeunt denticulatum, octoni vero Gammari. Sed est suus de Locusta locus in crustaceorum commentario.

MORIBUS ALIORUM ACCOMMODATUS.

CAP. XXI.

Pervulgatum vero illud est, ut homo, qui se variis hominum moribus accommodet, sitq; omnium, ut Latini dicunt, horarum, per Polypum faxis adhaerentem exprimatur, quem maxime omnium colore mutare constat, iisque similem reddere, quibus appropinqua verit faxis. Huic autem similes esse homines dicimus, qui pro loco & tempore vivendi rationem aucupantur, seque eorum, apud quos degunt, voluntati atq; sententiae in omne obsequium praeponunt, omni posthabita ingenuitate. Causam demutationis istiusmodi multi reddere conati sunt, eamq; alii voluntariam, alii naturalem, alii coactam tradidere. Voluntariam, quod id astu quodam faciat. Naturalem, quod transmutetur, ut homo etiam pro varia cordis concitatione, hoc vel illo colore genas perfunditur. Voluntaria sane reprehendit D. Ambrosius, propterea quod Polypus dolo malo hoc faciat, ut incautos ad se pisces trahat, eosq; devoret. Theophrastus id in genuinam quandam animalis ignaviam rejicit, quod ubi consternatus sit tumultu aliquo colorem mutet, ut hominem facere diebamur, unde proverbium illud emanarit, *τὸ κακὸν τῆς πένης χρώς, mutatur color ignavi*. Formidolosi enim omnino sunt Polypi, propterea quod admodum frigidi, eaq; cum primis demutationis causa perhibetur: id quod apertius Phocilides damnat: quod si ea sit mutationis causa reprehensionem omnino obnoxius videatur. Sedenim pleriq; veterum ingenium huiusmodi usque adeo approbaverunt, ut etiam proponerent ad imitandum, ea de causa potissimum Ulysem esse habitum sapientem asseverantes, quod versuto esset ingenio praeditus, unde ei apud Homerum *πολυτρόπῳ* cognomentum, & suavidicus ita suadet Pindarus:

Ποντὶς ἦρεθς χρωτὶ.

Μάλιστ' ἄνδρ' ὡς Πόλυπον

Πάσαις πόλινσιν ὀμιλεῖ.

D quam sententiam ita ex commodo transtulimus:

Age age color Polypi

Mentem apparatus optime

In urbe qua velis mane.

Suadet hoc ipsum Theognis, cujus sententia eadem cum Pindarica:

Mentem habes quam multicolor dum cantibus haeret

Polypus

Est enim ubi Theognidianus versus ita legitur:

Παλιπὸδ' ἄνδρ' ὡς πολυλόχῳ ὃς ποτὶ πέτρῃ

τῇ προσμιλήσει, τοῖσιν ἰδέειν ἐφάνη.

T t 2

Sedenim

Plutarchus in causis naturalibus problemate, cur Polypus colorem mutet ex Homero Iliad. v.

Id est, mentem habes saepe Polypus, qui protinus illa. Se quibus admovet, saxo colore refert.

Nempe
 ἢ ἀγορῆ
 ἢ ἡδονῆς,
 ἢ ἰσορ.
 Causa mu-
 tationis co-
 loris in Po-
 lypo.

Sedenim improbat hoc Basilius Magnus, adulatorumq; vocat Polypum libro *De gentium lectione*: quod veluti ille colorem ad subiecti soli speciem demutat, ita parasitus ad audientium voluptatem sententiam studeat variare. Sed quod Pindarus & Theognis tradunt, eo spectat, ut studium omne in calliditate dexteritateq; vivendi reponamus, ut simulare, neque non dissimulare, pro loco, pro re, pro tempore, quod obfuturū videatur, apud eos, quibus adhæsimus, evitare scimus: quod si virtute incolumi fiat, neq; animi integritatem flagellaverimus, evenire omnino necesse est, ut faciliorem & minus invidiosam vitam peragamus. Libet vero demutationis istius causas altius repetere, atque ipsam rei naturam, quantum ad hoc pertinet, oculis scribendo subjicere, tam probabilia mihi videntur, quæ super hoc veteres ex Empedoclis opinione tradiderunt. Porositates quippe exhalabiles inesse rebus omnibus, quas vel cernere, vel atrectare liceat: neq; enim animalibus, neque plantis, neque terræ & mari tantum, verum etiam lapidibus manifestæ insunt spiramenta quamplurima, quin etiam in ære & ferro, omnia enim sponte vitiantur, cum aliud exhalet assidue, pariq; ratione differtur, atque interteratur: per porositates enim exiliunt & excluduntur particulae illæ interclusæ, quæ ad elementi sui purissimi simplicitatem redire festinant, fæxq; corpori adhærescit, quæ rubigo est in iis, quæ rubigini sunt obnoxia: putredo in iis, quæ putrefieri apta sunt, atq; hinc omnia tendunt ad interniciem. Eam porositatum exhalationumq; naturam nonnulli arbitrio suo ἐμπλοκαὶ dixere πλοκαὶ alii, alii vero ὄψεις τινὰς ἔχει ἀεὶ λυσιτελεῖς. Maxime vero maritimis in petris, quæ saluginosa turis aspergine alluuntur refrigeranturque par est partes has, & meatus hujusmodi deprehendi, cum ha tenuissimo quodam halitu corrumpantur, licet id in solidioribus oculata fide minime possis explorare, propter materiæ densitatem & pororum consipationem. Cæterum si Polypi carnem intueare, si ne ulla prorsus contatione porosissimam, & transmeatibus aptissimam judicabis: ex ossis enim ea est, ut Hesiodi dictum usurpem, & mira quadam raritate perspicua. Cum itaque pavore aliquo perturbatur, tota fere vi sensibili sese colligente, quemadmodum in homine gelidus in formidine circa cor sanguis coit, corpus reliquum præ se quidem satis translucidum, dum maxime rarefit, & transmeabilis apparet: unde veluti vitrum nitidum, colorem quemvis, albo excepto, propter aliquam omnino crassitiam, quæ suppositum inumbrat corpus, facillime contrahere potest, atque ita transmutari.

DE CHAMÆLEONTE.

CAP. XXII.

Invitat rei similitudo, priusquam reliqua Polypi significata recenseamus, loco hoc de Chamæleonte, deque Taranda dicere: quorum alter colores corporis, uti Polypus pro corporis cui adhæserit, ratione, mutat: alter vicinarum rerum colores nullo tactu, sed sola tantum attrahi exhalatione.

VERSIPELLIS. CAP. XXIII.

Χαμα-
 λωντῶν
 ἢ ἰσορ.
 Χαμα-
 λωντῶν
 Causa mu-
 tationis co-
 loris in Po-
 lypo.
 A. in lib. 2.
 de Nat.
 anim.
 P. in lib. 8.
 c. 33.

PER Chamæleonta Versipellem hominem significari voluit, sed quod nonnunquam Polypo vituti datur, in Chamæleonte vitiosum semper autumant; quod mutationem hujusmodi non nisi in timore faciat, quamquam in eo & diverso vitæ tempore colores mutari tradit Aristot. Sane Chamæleon paucas in corde tantum sanguinis habet guttas, quæque sanguine sunt exiguo animalia, omnia frigidiora sunt: quæ frigida idemtidem & timida. Ut cum que vero accipiat Chamæleontis natura sive id ingenta vigoris debilitate faciat, sive quod corpus, uti apud Leon. X. P. M. Romæ vidimus, vitreum propemodum atque translucidum habeat, uno omnium consensu versipellis, puta Ulysses quispiam, aut Lyfander, aut Alcibiades, per Chamæleontem figurari potest. Hunc, ut Tertulianus ait, pellicula ambit, corporis nullus inest succus, pectus vix à terra suspendit, gradum magis demonstrat, quam explicat, jejunos semper & defectus, oscitans vescitur, follicans ruminat, de ventocibus. Hoc soli Chamæleonti datum, quod vulgo dictum est, de corio suo ludere. Quod vero apud Plinium legitur de portentosa ejus magnitudine, quæ par sit Crocodilo, viderint alii: nam quem nos apud Leonem X. vidimus, vix palmum excedebat.

DE

DE TARANDA. CAP. XXIV.

Sedenim si Taranda innotuisset Ægyptiis, inde potius quam ex Polypo aut Chamaleonte versu-
 tia huiusmodi significatum desumpserunt. Descriptio Taranda ex Nicolao Leonico. Fera ea est apud Sarmatas inventura, captique
 difficili, de qua Aristoteles Philosophus eo libello, quem de admiranda historia conscripsit, hæc
 memoriæ prodidit, ut ex Nicolao Leonico, dum is Patavii Aristotelem ipsum nobis ea, qua scripsit
 lingua interpretaretur, audivi: illam quippe apud Gelonos Scythiæ populos reperiri, Bovis magni-
 tudine, capite Cervino, admirandæ admodum & singularis naturæ, siquidem ad omnes locorum &
 fruticum apparentias, setarum colores, quibus totum corpus hirtum convestitumque habet: illico
 permutare, Quod si super hoc philosophari liceat animali nondum nobis viso, dixerim ego, quem
 admodum in Polypo $\pi\alpha\lambda\alpha\phi\omega\sigma\epsilon\varsigma$, quo corpus ejus translucidum est, & in Chamaleonte etiam Transpa-rens.
 transmeabile dicebamus, ita fetas Tarandæ pari modo perspicuas esse, ut facile colores cujuslibet
 aura in eas transfiliat, diffuentesque ad se ita colores repræsentet.

MENTIS ATTONITÆ CONSTERNATIO.

CAP. XXV.

Hominem adhæc, ut ad Polypum revertamur, subito aliquo pavore ita consternatum attoni-
 tumque, ut neque periculum, neque damnum, quod urgeat sentire videatur, per Polypum si-
 gnificare mos erat: siquidem is ita meticulosus est, quod Athenæus attestatur, ut vel strepitu audi-
 to, vel piscatore viso, minime cedat, aut fuga sibi consulat, ut reliqui faciunt pisces: sed aut faxis,
 quæ in promptu fuerint sese applicat, aut captantis manum apprehendit, cruribusve se alligat, neque
 alia fere est eorum captura. Polypi ca-
pitura quo-
modo fiat.
Eadem Plin-
nius lib. 9.
cap. 29.

POESIS. CAP. XXVI.

Addunt & hoc hieroglyphicum inveniri, ut si sacerdotis iidem Ægyptii poësin exoticam signi-
 ficare vellent (nam de sua sanctius sentiebant) Polypi caput figurarent, quod quidem esculen-
 tis appositum suavissimi saporis ganeæque jucundissimum esse perhibetur: ceterum horrenda pro-
 digiosaque somnia parere deprehensum est. Quocirca si quis futura de insomniis consulturus esset, $\Phi\alpha\lambda\eta$.
 ab esu Polypi abstinere præmonebatur, perinde ac etiam ne fabas ederet. Persimilem autem huic
 esse poëticen dicitabant, quæ fabulas amatoriasque illecebras sectaretur, ipso quidem dicendi le-
 pore delectabiles, sed bonis moribus & honestiori disciplinæ maxime perniciosas: cujusmodi genus
 Meretriculas appellavit Plato, & ab inculpabili civitate sua iussit exulare. Nolim tamen in hoc albo
 divinam illam poni, quæ sanctioribus est moribus accommodata, quam nonnihil habere divinita-
 tis non inficiatur Aristoteles, quam cœlitus afflari confirmat Plato, quæ apud omnes gentes natio-
 nesque omnes in summo semper cultu habita, ipso etiam sanctitatis nomine celebratur. Hæc à Plu-
tarcho in
lib. Quo-
modo sint
adulescen-
tibus audi-
endi poëta,
quæ sic re-
fert.

DISCESSIO SUBITA. CAP. XXVII.

Ægyptii ad hæc, si quem ita pertinaci animo amantem, ut amata relinquere minime posse vi-
 deatur, subito tamen eventu aliquo abalienatum significare si vellent, Polypum & pulicari-
 am herbam adpingebant. Polypi enim ita escis adhærescunt, ut avelli inde non possint, & quam-
 cumque rem apprehenderint, tam firmiter tenent, ut adglutinati videantur: quod ab Homero sum-
 ptum Ovidius ita luculenter expressit, Metam. quarto:

*Utque sub æquoribus deprensus Polypus hostem
 Continet, ex omni demissa parte flagellis.*

Eos enim potius detrunces, quam possis ullo conatu petris, aut quicquid apprehenderint, avellere, &
 ut Nazianzenus ait, si quis eum de cubilibus trahere per vim velit, aut è petris aliquid evellet, aut
 certe è carne ipsius petris affixum aliquid relinquet. Admota tamen cunila herba resiliere protinus
 dicuntur, quod odorem ejus ferre non possint. Quæ vero sit cunila sive pulicaria, quamque variis
 nominibus ab authoribus appelletur, suo commentario inter sagvinea significata disseruimus. A-
 junt & aquam dulcem superinfusam eadem pollere vi, quod natura ipsa Polypus dulcia omnia aver-
 setur, & omni gaudeat amaritudine: eaque de causa non inveniri Polypos in Ponto: quia mare id
 multis

multis aquarum dulcium corruvis supra aliorum marium saporum dulcescere quodammodo videtur. Alii mare id à Polypo vitari putant : quia fit animal ob imbecillitatem suam frigoris impatiens, mare vero illud ad Boream quippe vergens, assiduis pene frigoribus obnoxium esse, manifestum est.

AMORIS FIRMITAS. CAP. XXVIII.

Polypi
morfu
Delphini
detenti.

UT vero demum ad eam Veneris statuam deveniamus, quæ causa fuit, ut tam multa super Delphino & Polypo conquereremus, superfluum quidem est super Delphino dubitare, cur Cupidi ni adjiciatur, cum amoris in eo signa tot deprehenderimus. Quod autem pertinet ad Polypum, eorum qui amoris firmitatem ex Polypo ita Delphini morfu detento intelligendum contenderent, id quod ex ipsa sese applicandi pertinacia, qua insignis est Polypus, conjiciebant. Ego vero tres argumenti hujus interpretationes excogitavi. Vel enim pavorem & ignaviam, quæ vitia Theophrastus in Polypo præcipua deprehendit, devoranda esse amatori homini dicendum, Delphini in eorum locum promptitudine atque agilitate adsumpta : quandoquidem, ut ait Ovidius, *Ingenii est experientia amor*, atque ubi multa in hanc sententiam disputavit, concludit demum, ut

Qui non vult fieri desidiosus, amet.

Plin. lib. 9.
c. 29.

Vel, quoniam diligentissimus est rerum cumulator Polypus, intelligi posse arbitror, facultates omnium quantumlibet cura & diligentia congestas, cito, ubi amore capti fuerimus, prodigi, inutiliterque dissipari. Quam ex templo enim, ait Lyfiteles Plautinus, sevis sagittis percussus est, illico res foras labitur, liquitur, & quæ sequuntur. Vel qui Delphinum amoris indicium esse ostendimus, Polypum verofuturæ, dicere possemus, admoneri nos eo signo versutiam amanti cumprimis apprehendendam, quod fieri solere Plato dicit, in amata rei mores transmigrandum : uti quippe Polypus in colorum mutationibus, prout unicuique rei adhaerit, facit. Sed enim ea potius de causa Veneri Polypum absculpi existimandum, quod inter pisces sit omnium salacissimus, adeoque libidini deditus, ut nimio Veneris usu omnibus defectus viribus debilitetur, neque jam ad cibum sibi conquerendum idoneus effectus, minimo negotio ab aliis capiatur, & à parvulis quibusque pisciculis, Cancellis & Cancris edatur, observatum ab Aliano. Quinetiam ajunt eos ob hujusmodi nequitiam non amplius intra vivere ; id quod eadem de causa Passeribus etiam accidere tradit Aristoteles. Quin & Polypus etiam foeminas, propter crebros partus, ocysime deficere. Quanquam aliquando repertus sit Polypus cetacei generis magnitudinem excevisse, qualem illum Græci prædicant, qui Putolis per subterraneum cavum ingressus, noctu apothecam falsamentorum plenam depopulabatur (ejus enim amandis avidissimos eos esse paulo ante ostendimus) donec re demum patefacta, vix à magno horum numero confectus est.

HYEMALE SOLSTITIUM. CAP. XXIX.

Lib. 2. c. 3.

ADDemus & illud, in manuscriptis Hori codicibus legi δύο πολυπόδες *ἑνωμένοι καὶ ἀπὸ τοῦ ἡλίου, ἔν τῃ ἐν ταῖς χειμερῖαις τροπαίαις, σημαίνουσαι*, quod est, *duos Polypos vinculis conatos, & progredientes tamen, cursum Solis, quem in brumali conversione peragit, significare*. Quanquam impressorum codicum lectio, quæ est δύο πόδες, nequaquam displicet : sed si progressum exprimere volueris, videndum est, si pedes illigatos pinxeris, qua id ratione tuearis. At de hyemali conventionem sermo est, quæ ut sphaeræ consideratione manifeste licet inspicere, progressum Solis omnino cotationem ostendere videtur in ultimis Sagittarii & primis Capricorni gradibus, Sol ad horizontem vix loco dimoveri, aut quam lentissime diurnos parallelos conscire videtur. Ad cuius rei tarditatem accedit, & eorundem parallelorum iisdem ferme diebus repetitio, dum conversio peragitur, ut stare loco potius Sol, quam quoquam motu suo progredi videatur. Quare si pedes, sive Polypus colligatos accipere malueris, non sum admodum laboraturus : mihi satis fuerit, & codicum super hoc varietatem, & ipsam rei, quæ significatur, historiam declarasse. Tu vero, quanquam cogitationes has nostras sublimes illa doctrina tua longe inferiores intelligas, pro summa tamen humanitate, qua præcipue commendaris, despiciere haud quaquam velis. Nihil enim in rerum natura temere à Deo factum : quique Deo, ut tu facis, propinquius adhærescunt, nihil quicquam aspernari debent, quod eodem, unde originem traxerit, periodo quadam sua redire animadvertent.

JOAN